



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Angaria, Seu Perangaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

Ad septimum. Respondetur, quòd est discriminem inter Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum? Respondetur primò ex Nav. *loc. cit. nota. 8. nu. 3.* quòd se habet ut genus, & remissio peccatorum velut species. Secundò, quòd sunt idem, ut *Mar. c. 14. Cœpit jurare, & anathematizare*, sicut interdum dicitur in quibusdam Canonibus, & Bullis, excommunicamus, & anathematizamus, quamvis in hisce verbis alia possit esse interpretatio, vel quia ponitur exaggerativè, vel quia convertitur, & pro vel, sive substantivum cum adjectivo, ut indulgentia plenaria sit adjectivum, & remissio peccatorum substantivum.

Ad octavum. Respondetur ex eodem *loc. cit. notab. 1. super ver. durante, n. 38. & eod. super verbo, consequuntur*, ubi dicitur, quòd potest quis visitare Ecclesias determinatas, in verbo, & finitâ visitatione confiteri, & communicare, & tunc lucratur Annum Jubilæum, & si hoc non fecerit in Urbe, sed tantum Ecclesias visitavit, & post regreditur in patriam suam, habet totum annum illum pro spatio ad confitendum & communicandum, in tantum, quòd si ultimo anni die confiteatur, & communicet, tunc lucratur Indulgentiam anni Jubilæi, quæ doctrina licet si sit vera, ut à simili dixi, *in ver. Indulgentia*, ex *Sot. in praxi mea poenit. c. 10. q. 31.* tamen videtur satis larga. Denique sic res se habet, quia in materiis istis moralibus, potius largè, quàm strictè proceditur, hoc tamen fallit primò in secundo anno, quando annus Jubilæus

fit extra Urbem. nam in multis conceditur Jubilæum pro uno mense, alibi pro sex, & sic dico, quòd quis habet tempus per totum spatium mensis, vel sex mensium ad confitendum, & communicandum, adimpletis prius tamen adimplendis. fallit secundò, nisi aliter Summus Pontifex statuerit, ut verbi gratia, accedentes ad Urbem, visitare habeant tot Ecclesias, tot vicibus jejunare, tot diebus confiteri, & communicare in Urbe, & finitâ visitatione, quia tunc ibi omnia essent adimplenda, aliàs non lucraretur indulgentia, vide *Navar. notab. 19. num. 11. & gl. 9. in d. Extravag. 1. de poenit. & remiss. & c. odia.* quia sumus in favorabilibus, & *Nav. loc. cit. notab. 16. n. 6. Sot. 4. sent. dist. 21. q. 2. ar. 3. col. 4.* Hæc volui attingisse pro nunc breviter, sperans Deo adjuvante me facturum peculiarem tractatum de Anno Sancto Jubilæo.

#### ANGARIA, SEU PERANGARIA.

Primò, quæ dicantur angaria, & perangaria, vide *Innoc. in c. non minus, nu. 3. de immun. Ecclesi.*

Secundò, an Ecclesia teneatur ad angaria, & perangaria, vide eund. *loc. cit. num. 4. & 7.* & *Afflict. in constit. just. cultores, notab. 5. num. 5.* ubi dicit, nec Ecclesiani, nec Clericos possunt sustinere Angariam.

\* \* \*